Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

eos; foris desuper tenebre, deorsum tempestuosi fluctus irruebant in eos. Succedunt malis his alia satis grauior omni morte grauior mortis expectatio, que omne uite intimum gaudium deuicta desperatio. In miserrima hac rerum facie dominum dominum uite et mortis et saluatorem mundi uotis ac precibus turba illa fidelium interpellat; et suis diffidens meritis sanctos intima deuotione placat. Inuocabant alii sanctissimum Nycolaum, alii beatum Andream sanctorum mitissimum. Et ne moram faciam, quemcumque sanctorum ut ex debito, ut ex deuotione esset obligatior, eum quisque pro se ad intercedendum destinabat. Quid multa? Ipse tamen qui uentis et mari imperat et obediunt ei tamquam potens crapulatus a uino dormiebat. Annon enim non recte dormisse uideatur, cum inter omnia hec per totum biduum non est ausus furor eius; sed adhuc manus eius extendebatur. Itaque dum foris essent pugne et intus timore periculis soluerentur, abbas ille uelim inquit pauca dicere pro presenti tempore et tempestate qua quam nobis et ora et aures turbinibus et fragoribus obstruantur. In profundissimum infernum descenderunt omnia nostra; et quasi uicta bella contra nos celum terra maria susceperunt, cum uenti de celo, de mari procelle eliserunt nauim nostram, et ipsa terre litora nolunt recipere fugam nostram. Quin cum et in extremis periculis supremis sit nitendum presidiis, cur non ad eam maxime de qua totus mundus suscepit salutis exordium uniuersa tota intendit uirtus cordium? cur non ei precipue supplices preces offeruntur? cur non in eam tota deuotionis studia conferuntur? Ipsi rogo ipsi potissimum supplicetur ut nobis se inuocantibus propitia esse dignetur, ut pro famulis matris filio predilectoribus dilecto carissima in deliciis suggerere non moretur. Dixerat enim hec, et quam que infra biduum nichil preter unius pomi esum perceperat, incipiens tamen parata uoce R. Felix namque. Cepit esse princeps laudationis et confessionis in populo dei. Concordant ei uota et laudes omnium unanimes dei genitricis implorant auxilium. Mira res subito in summitate nauis mirabilis noue lucis splendor exortus noctem illam tenebrarum dispulit, et procellis quiescentibus die quoque post modicum restituta, in portum desideratum nauis onus exposuit.

Beatus uir dei qui intus in archa se receperat, a diluuio rerum temporalium sese immunem fecerat; auxilio summe uirginis marinos impetus subterfugit. Siquidem sunt tria genera hominum. Alii archa habent et in archa manent cum Noe et filiis, uolatilibus et bestiis; hii sunt fideles boni siue innocentes uixerint et uelut humanam speciem ad archam adduxerunt, siue bestiales feritate, siue ad formam uolucrum leues curiositate ante fuerint; et deinceps per penitentiam in archa recepti perdidisse se dies suos deplorauerunt; alii archa habent et in archa non manent; hii sunt qui per fidem quasi affixas arce mansiunculas habent, et aliquando in ipsis multo autem crebrius in aquis seculi scilicet uoluptatibus uitam agunt; tercium genus continue in aquis commorantium est multitudo infidelium sub huius mundi precipiti lapsu pereuntium.

De primo beneficio illo fuit quedam mulier cui mater misericordie sue opitulationis presidium iocundum simul et admirabile conferre dignata est. Cuius rei seriem paucis accipe. Alluitur oceano locus quidam isque ab incolis tumba uocatur. Alio et nomine appellatur periculum maris; quatenus ipso loci nomine qui eo deuenerint ignari locorum et nominis ethimologia territi cautiores reddantur. Siquidem bis in die mare ebulliens cum feruore et precipiti preruptione fugam non numquam euadere nitentium intercipiens locum circumquaque allabitur et uicinia alluit cuncta et allambit; in priorem se sinum recipit. Accedere illuc homines causa est ecclesia beati Michahelis uenerabilis et congregatio fratrum communis uite regulam preferentium, et in sancta conuersatione uiuentium. Igitur dum beatorum angelorum sacra instat sollempnitas ad presidium angelorum et ad habitacula hominum angelice conuersationis uitam imitantium fit concursus populi incredibilis. Illos deuotione, hos ammiratione amplectuntur utrorumque laudibus per diuinum datum fuit admiscent. Contigit quodam tempore ad eandem sollempnitatem adesse simul uirorum et mulierum innumeram plebem; hominibus et angelis commune haberi leticiam. Fit subito appulsus ille fluctuum ingens concursus hominum. Quisque sibi euadendi querit consilium; nulli in proximo situm auxilium. Quedam mulier pregnans et uicina partui, non modo a fuga ipso uentris pondere retardabatur, uerum et subiti timores qui irruerant in eam ipsum pondus eam deponere iam et resolui eam in partum urgebant. Non erat iam in homine subueniri hominibus, alteri aduite principium, alteri aduite defectum per eadem naturalia iura tendentia. Quanti et graudo puero et puerpere. Inde in supremis miseriis mulier illa summe matris opem implorauit. Interpellat puerpera puerperam misellam pre diuturne indolis; que infaustum edidit partum marinis periculis eam que beatum fudit partum dominum angelorum et salutare orbis. Et impletum est illud dominicum; sicut credidisti fiat tibi. Non solum autem sed et ipsius in litore consistens et miserande miseriam, immo et mortem omnium mi